

rum auctoritate. Num vero is, quod cupit, rite recteque omnibus persuaserit, penes alios sit iudicium.

§. XVIII. Pergo nunc ad notissimum illum *ANDREAM BO-DENSTEINIUM*, *CAROLOSTADIUM* a patria vocatum, hominem, Melanchthone iudice, ferum, sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communi. Celebris fuit initio Wittebergae Doctor, & tanti a Luthero, cui lauream Theologicam imposuerat, habitus, ut *Maioris*, & *Praeceptoris*, eum appellarit nomine. Mascule etiam a Lutheri stetit partibus, & ore, calamoque, pro doctrinae Evangelicae veritate decertavit. Testor colloquium Lipsiense, in quo per integram hebdomada, ita cum Eccio disceptavit, ut, si non elocutione, pondere tamen argumentorum, superior extiterit, teste Nicolao Ambsdorffio, in literis ad Spalatinum, T. 1. Script. Luth. Altenb. p. 176. Verum superbia, quae multarum haeresium est mater, & hunc praecipitem dedit. Dum enim famam captaret, & Luthero emendatae in melius religionis invideret gloriam, res novas moliri coepit, & de abstrusioribus, quae forsitan ne ipse quidem satis intellexit, loqui. Nam a Luthero proletaria tantum, & ubivis obvia in medium adduci iactitabat. Quibus ut auctoritatem eo maiorem conciliaret, immediatas crepabat revelationes, ad quas communiter fanatica sese recipere ingenia solent, si quando causae suae, & sententiarum bonitati, diffidant. Scio equidem, male haec habere Reformatos, qui ab omni Fanaticismi suspicione Carolo-stadium liberant, & *συρραξως* in Ecclesia exortae, culpam, tantum non omnem, in Lutherum transferunt. Lutherum enim invidia laborasse, nec parem potuisse in Reformationis ferre negotio, clamitant. Discusserunt haec alii, istis suffulti rationibus, quibus nemo refragari poterit iure, nisi qui fidem omnem historicam in dubium vocare velit. Nec demirari satis possum, Iac. Perizonium, paucis ab hinc annis, crambem istam recoxisse, cuius Commentarii Histor. Rerum per Europam maxime gestarum ab ineunte Sec. XVI. maiorem forsitan laudem, & approbationem, consequerentur, si animum ubique adhibuisset, a partium studio, pro eo, ac par erat, vacuum. Id nunc saltem demonstrasse sufficiat, Carolo-stadium merito fan-

fana-